



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 51.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

REGULA LI.

De petenda à Superioribus pœna, ob transgressionem
Regularum,

EXHORTATIO
IN EANDEM,

Ostendit pœnitentiam aliquam à Superioribus, ob violationem
Regulæ postulandam esse, ejusque causas explicat.

T H E M A.

Qui in minimo fidelis est, & in majori erit. Marci 16.

V E L

*Aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias in-
jungi, propter defectum observationis Regularum
petant.* Reg. 51.

Rer primi parentis
Adæ pravaricationem, homo propter
passionum intemperantiam, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: ideoque non minus indiget chamo & frano, quo constringi valeat, quam equus indomitus & esfranis. Frantum hoc est Decalogus, quo nonnihil comprimimur. At cum jam domitus ac mortificatus est equus, id est, animus noster, non solum facillime frano circumagitur & gubernatur, verum etiam nutu, voce, aut manu insidentis flectitur: cum non præceptis dumtaxat Divinis obsecundat; verum insuper consilia amplectitur, quibus obtinere. Tunc gratissimus est Deo, tunc acceptus & sanctus: voluntaria enim sacrificia gratiora sunt. Hoc in lege gratiæ eventurum S. Propheta Zacharias vaticinatus videtur, cum dicit: *In die illa erit quod super frannus equi est, sanctum Domino.* c. 14. 20. Post adventum & Doctrinam Salvatoris, cum sanctitas abundabit, non solum frano

trano & rigida præceptorum obligatione servi Dei regentur; sed super se præter præcepta addent consilia Evangelica; quæ illos Deo acceptos, sanctosque reddent. Quilibet Ordo & in primis Societas nostra, super fratum communium præceptorum, altero constitutiones sanctissimas, summam seu florem consiliorum Evangelicorum continentes, suscipit: ad quas exactè servandas, plus nos urgere & constringere debet spontanea charitas, quam alios formido servilis, tamen plurimè sub peccato non ligent.

Quoniam verò ea est humanæ naturæ fragilitas, ut vix aut nè vix quidem, navis omnibus ac defectibus immunis degere valeat; & maximè etiam diligentia, vix caveat, quin aliquando cespitet; S. Parens noster Ignatius, ob hos in Regularum observatione defectus, aliquoties in anno, poenitentiam postulari voluit: quibus verò de causis id iusserit, in præfati deprememus.

1. *Aliquoties, singulis annis poenitentia a Superiore petenda sunt, propter defectus observationis Regularum.* Idque præstamus, dum defectus nostros præstitemur, injunctamque poenam demissè exequimur. Quisnam verò fructus ex eo nobis nascitur, aut qualnam in eo virtutes exercemus? 1. Obedientiam: jubet id enim in Regula S. Fundator, omnibusque id ipsum præscribit; dum igitur illud implemus & Regularum Conditori & Deo obtemperamus: *Qui vos audit, me audit.* Luca 10. 16. 2. Humilitatem; dum defectus nostros agnoscimus, ac

recensemus, & nonnullam confusionem; inde ortam, subimus; defectus enim suos, natura nostra corrupta, libenter palliat; eos aperire, illi repugnat. *Humilitatis filia est, sui ipsius perpetua accusatio:* ait S. Dorotheus doctrina 2. 3. Curam profectus nostri spiritualis, quam hoc ipso nos gerere demonstramus, ut in Regula indicatur. Sed de hac puncto sequente. 4. Amorem Regularis disciplina: Regularum enim transgressione, eisdem quasi vulnus infligimus, poenæ autem adimplerione emplastrum quodammodo vulnere imponimus, damnumque disciplina Regulari illatum resarcimus. 5. Honorem Sanctorum: Sanctos enim honoramus, in quorum pervigiliis, ejusmodi humilitatis exercitium obimus; quemadmodum R. P. Franciscus Costerus, horum locorum Anno 1578. Præpositus Provincialis; qui omnibus Fectorum Divæ Virginis pervigiliis, sese in publica cœnatione accusabat, poenamque nonnullam de se sumebat: ut refert Bibliotheca Script. Societatis. 6. Sanctorum imitationem, dum illorum exemplo, defectus nostros palàm pronuntiare non veremur. Exempla hujusmodi desideratis?

1. Intuemini primo loco magnum illud Africæ, imò Mundi universi lumen, S. Augustinum; cujus sanè heroicum facinus prorsus est admirandum; quo delicta juventutis suæ, eaque non levia, sed quæ vel maximum ruborem incutiunt, libris Confessionum complexus est, & toti mundo, per tot sæculorum decursus, legenda proposuit

M m m m 2 ac

ac divulgavit. Quin & homiliâ 24 ex
50 tantis Ecclesiâ Doctor, errorum
suorum veniam publicè pro concione
dicens, petiit. hisce verbis: *Diversarum
errorum astibus ac difficultatibus con-
turbatus, si quem forte, non ut poscebat,
audivi; si quem tristius, quam usus erat,
aspexi: si in quem verbum durius,
quam oportebat, emis; si quem corde con-
tribulatum, & opis indigum, responso-
ne incongruâ conturbavi: si quem pau-
perem, mihi in aliud intento, importu-
nus insistentem, vel pratermissi, vel dis-
tuli, vel etiam nutu aspero, contristavi:
si quis in sua conscientia non agnovit,
quod de illo humanitus suspicatus sum:
vos, quibus pro his atque huiusmodi of-
fensis, esse me fateor debitorem; simul me
vestrum credita debitorem; nam pullos,
quos fovet, saepe in angustiis, sed non toto
pedis pondere, calcat & mater, nec ideo
desit esse Mater. Dimitte, ut dimitta-
tur vobis; dimitte amanti vos, debita
difficultatis, qui nec contra inimicos de-
bita crudelitatis tenere debetis. Quanta
humilitas tanti Ecclesiâ Doctoris
ac fideris!*

2. De S. Patre Seraphico Francisco,
recenset Doctor Seraphicus S. Bona-
ventura in vitâ c. 6. Vir sanctus, cum in-
firmitate gravatus, abstinentiâ rigore,
pro recuperanda sanitate, modicum
relaxâset: non pepercit rubori suo,
quin coram omni populo, proprios
manifestaret defectus: *Non est, aiebat,
conveniens, ut populus me abstinentem
credat, & ego carnaliter reficiar in oc-
culto.* Pari modo Mellisi, Doctor scri-
bens ad Robertum Nepotem suum Epist. 1.
culpam suam libens agnovit & pro-

fitetur: *Si tuam, inquit, culpam agnovit
ignosco: ignosce & tu mihi, ubi mecum
agnosco.* Non ab simili ratione, lucu-
lentum nobis exemplum huius confes-
sionis & humilitatis præbuit S. P.
Ignatius, teste Ribadeneira L. 2. vita
ejus c. 5. Qui Azpetiz in patria sua,
publicè in cathedra pro cõcione dixit,
te in adolescentia tua, aliquam fru-
ctuam copiam ex alieno horto, furto
furripuisse, ob quod furtum ab usibus
cens penam luisset: & narrationem
hoc epiphonemate conclusit: *Ego sum
reus ille innocens, lin. ulque hominem
torrè presentem, nomine proprio
compellabat.*

3. Admirandum fuit exemplum la-
tronis apud Climacum gradu 4. Quia
flagitiis ad Deum conversus, atque ad
Monasterium admissus, coram ducentis
ac triginta Monachis, scelera omnia,
vita totius curriculo, admitta, ut
veneficia, homicidia, aliâque contra
naturam perpetrata, singulatim enarra-
vit, nihil omnino reticens; atque hoc
heroico humilitatis & victoriâ sui, si-
cinore præmissio, tonsus, ac fratribus
aggregatus fuit.

Si Viri sancti Augustinus, Fran-
ciscus, Bernardus, Ignatius, publicè
coram populo, defectus suos referre,
culpamque veniam postulare
non erubuerunt; imò ipsi latrones
gravissima crimina detegere non
sunt veriti; cui Religiosorum dis-
cile accidet, defectus suos exigua
profiteri, ac penam nonnullam
persolvere; quemadmodum Tyro-
nes sapius, alii in anno aliquoties
assolent?

II. Causam potissimam hujus Regulae allegat sanctus Fundator; *Ut hac cura, pondus sit illius, quam de suo profectu spirituali, in via Dei, quisque habet.* Cura profectus spiritualis praeput sita est in observatione exacta Regularum, etiam minimarum, quae omnes nos in via Dei dirigunt, & ad perfectionis metam tandem perducunt. Ubi supponit S. Regularum Conditor, nos hujus curam gerere, & illius indicium, signumque externum cupit esse; defectuum suorum manifestationem, & poenae cujusdam à Superiore poenitionem ob defectus in Regularum observatione commissos. Ut autem magnam profectus nostri spiritualis curam, quam S. Ignatius supponit, & in observantia Regularum consistit, in pectore nostro constanter foveamus, visum est, ratione nonnullas ac motiva, observandi Regulas, etiam minimas, atterere.

1. Motivum primum est *Fidelitas* Religiosi, quam in accuratâ regularum etiam minimarum observatione demonstrat; quaeque Majestati Divinae mitissime placet. Matth. 25. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisi fidelis super multa te constituam.* Et Marci c. 16. *Qui fidelis est in minimo, & in majore fidelis erit.* Commuiter solum: hoc enim pacto Domini servos & ancillas probare solent, num videantur in parvis se fideles exhibeant.

2. Motivum est *Fervor*: signum enim fervoris est, minimarum etiam regularum observantia; qui Religiosos ad eam excitat & impellit; ac Bonitatis divinae oppidò gratus accidit: ab-

que fervore enim moraliter impossibile est omnia minuta observare: tum quia diligens cura requiritur, quae à tepidis declinatur; tum quia multi respectus humani pervincendi, multaque difficulta superanda, quae fervoris spiritu destitutos, datâ quavis occasione illico prosterunt.

3. Motivum est *Amor* & affectus, quem Religiosus in eo demonstrat, dum minimas etiam constitutiones custodit; qui numini supremo, perquam gratus & acceptus est: non enim Deus attendit, quantum, aut quid facias, sed quo affectu aliquid propter ipsum praestes. Nam ut ait S. Ambrosius L. 1. offic. c. 30. *Affectus rebus pretium imponit.* Hinc est, quod crebrò res, quae videntur exiguae, pluris à Deo fiant, quam in speciem magnae. Lucae c. 21. Duo aera minuta, quae vidua pauperula in Gazophilacium misit, magis Deo placuerunt, quam dona divitum, licet copiosiora. Confirmat hoc ipsum S. Ephrem tom. 7. de poenit. ubi ait: *Iusti parvis actionibus Deum magis flectunt, & placant, praenonnullis, qui multa faciunt: non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis: & non invidetur, quod sit; sed quo studio & propensione peragatur: vidua pauperula duobus obolis superavit divites auro abundantes.*

4. Motivum exacta obedientia; quemadmodum Deo grata est obedientia exercita in minimis; ita major quodammodo videtur inobedientia, minimorum omisio. In *Paradiso*, inquit S. Augustinus L. 14. de Civit. c. 15.

Mmm m 3 tanto

tantò major inobedientia fuit, quantò id, quod præceptum fuit, nullius difficultatis fuit. Et S. Bonaventura in Spec. disc. Nec minimum est contemnere minima, qua non minimam moribus maculam, eò turpius neglectis habita, ingerunt, quò vitari facilis cognita valuerunt. Certè si hac minima pro Deo non facimus, non est, quod credamus cordi nostro, desideranti majora. Multi, inquit idem Doctor Seraphicus, pro Christo optant mori; qui pro Christo nolunt levia verba pati; sed quem terret sonitus folii volantis; quomodo sustinet etictum terribiliter vibrantis?

§. Motivum est premium, quod divina Liberalitas, Regulas minimas observantibus, elargitur. Si enim non denegat premium danti pauperibus haustum aquæ; secundum illud Matth. c. 10. 42. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigide, tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quantò magis mercedem refundet vincenti seipsum, abneganti sensualitatem, superanti molestiam, quæ non rarè in observatione Regulæ minimæ deprehenditur? Qualis v. g. est, silentium non rumpere, absque Superioris facultate nihil dare aut accipere, alienum cubiculum non intrare, in horto nec florem, nec fructum decerpere, nullam temporis partem otio trahere; ad campanæ sonum extemplo opus inchoare, aut abrumpere. Unde Deus sæpe gratiam ad majora subtrahit, eò quod necdum præstemus

minora. V. P. Petrus Faber è prima decade Sociorum S. Ignatii primus, dicere solitus fuit: *Deus majora crebro dona negat, vel differt, us dum homo comparandis minoribus invigilat, quæ quibusdam gradibus ad majora perveniat.* L. 2. vitæ c. 11.

Ex adverso, quanta perfectionis & sanctimoniam dona, Deus O. M. contulit iis, qui in minimis fideles extiterunt? Quæ enim viâ ad sanctitatis fastigium, tam citò evolârunt B. Aloysius Gonzaga, B. Stanislaus Kostka & Venerabilis juxta ac admirabilis ille noster Joannes Bergmannus? Nonne exquisitissimâ observantiæ Regularum? Quid præstitere aliud, nisi nec latum unguem à Regulis discedere, & minima exactissimè observare? atque ex hoc acquirati sunt multis viris, sanctimoniam inclytis, grandia & heroica operatis.

Illustre hujus rei exemplum præbent paginæ sacræ, de Rechabitis, quanto hi honore & præmio à Deo affecti sunt, quia jussa Patris sui transgredi noluerunt? Jussit Deus, Jeremiam, convocare omnes Rechabitas, illisque propinare vinum ad bibendum; at illi omnes uno ore responderunt: *Non bibemus vinum, quia Joadab Filius Rechab, Pater noster, præcepit nobis, non bibetis vinum: & obedimus voci ejus; ut non biberemus vinum cunctis diebus nostris.* Jerem. c. 35. Idque posteri observârunt, trecentis annis, licet consilium duntaxat esset, non strictum præceptum. Sed hujus spontaneæ observantiæ præ-

nam audite: *Hac dicit Dominus exercituum, pro eo quod obedistis praecepto Pasadab Patris vestri; non deficiet virtus vestra. Pasadab, Filius Rechab, stans in conspectu meo, cunctis diebus.* Magna promissio, quod licet essent Madianitae & extranei, ac non Judaei, electi tamen sunt, ad officia Sacerdotalia & Levitica. Tanti apud Deum est sollicitudo cura minorum. Ausim dicere, nunquam deficient sancti (Sanctitas autem interna major est dignitate externa Sacerdotali) in ordine Religioso, atque etiam in Societate nostra, si in ea flourerit stricta obedientia, vigor Instituti, omnium constitutionum summa reverentia, rerum exiguarum grandis cura, & consilia servabuntur plus, quam alibi praecepta. Via enim sanctitatis plana est, exacta Regularum minimarum observantia.

Quae cum ita sint, Charissimi; *Quod super fructum est equi, id est, quod super praecepta est, scilicet consilia & Regulas nostras exacte custodiamus; & si illas transgressi fuerimus, poenam aliquam à Superiore nobis injungendam postulemus; ut veram profectus nostri spiritualis curam, hoc modo demon-*

stremus, ac deinceps, diligentia accuratiore easdem, etiam minimas observemus: ita fiet, ut fidelitatem, fervorem, obedientiam, amorémque majorem Deo exhibeamus, magis illi placeamus, majoraque ab ipso pramia reportemus. Caveamus, ne Deus per S. Ignatium exprobet nobis, quod per Jeremiam Israëlitis: *Nunquid non recipietis disciplinam, ut obediat verbis meis, dicit Dominus? Filius Pasadab obedierunt praecepto Patris sui: ego autem locutus sum ad vos & non obedistis mihi.* Jeremias c. 35. Rechabite obedivere voci hominis: nos Deo & Evangelio, ex quo Institutum nostrum desumptum est, non obediemus? Absit, absit; nos in minimis, non minus, atque in maximis, obedientiam exhibebimus: quod si praestiterimus, sperare licet, nos aliquando ex ore Salvatoris nostri amantissimi, in hora mortis, audituros vocem hanc optatissimam: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Matth 25. 21.



REGULA